



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 118. Papa sibi objecta de Siciliae Regno diluit

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV. natu gesta sunt: nunc revocari tanquam in-  
A.C. 1459. jusse acta petuntur: æquum est, ut eorum  
 consilium exquiramus: quo habito, respon-  
 sum & querelis & petitionibus vestris dabi-  
 mus. Quibus dictis conventum dimisit,  
 gravi ægritudine stomachi affectus, & a-  
 rida tussi importune vexatus. Francive-  
 ro, re cognita, simulatum a Papa obten-  
 di morbum, eumque hac arte, cum ra-  
 tionibus eorum victus esset, responsum  
 effugere dictitabant. Hæc cum Pius  
 comperisset: *Etsi me, inquit, media in con-  
 cione mori oporteat, respondebo: nec vincet  
 animum dolor, nec impetrabit ægritudo, ut  
 timere videar.*

## §. CXVIII.

*Papa sibi objecta de Sicilia Regno  
 diluit.*

**N**ec promissa eventus fefellit; quanto-  
 cius enim vocatis omnibus Cardi-  
 nalibus, & communicato responso, quod  
 Gallorum Legatis daturus esset, Papa  
 omnes ceterorum Principum Legatos ac-  
 cersiri jubet; ipse quoque, quamvis cor-  
 pore languidus, & ingenti dolore oppres-  
 sus, e cubili suo egreditur, & sublimi,  
 quod in ampliore aula hanc in rem ere-  
 ctum erat, solio sedens silentium indixit.  
 Primo quidem vultu pallidus, & animo  
 anxius vix effari poterat, demum vero  
 ubi calor invaluit, ipsa dicendi vis dolorem  
 sup-

suppressit, ac verbis sponte fluentibus tri-  
 um horarum orationem habuit. Ante Sæcul. XV.  
A.C. 1459.  
 omnia ostendit, se nullatenus a rectitu-  
 dinis tramite deviasse in eo, quod Sici-  
 liæ Regnum Ferdinando adjudicasset; Spicil. Da-  
cher. to. VIII  
 his præmissis querebatur, quod illum in-  
 digno prorsus modo habuerint, nec non  
 auctoritatem summi Pontificis, qui to-  
 tius Ecclesiæ caput foret, contempserint.  
 Postea præclaris elogiis Francorum glo-  
 riam, & merita extollit, & addit, illa,  
 quæ circa Regni Siciliæ dispositionem  
 egisset, nec juris nec rationum præsidio  
 destitui, nam cum *in Ferdinando propin-*  
*quus hostis & apertissimum damnum, Spes*  
*vero in Renato longinqua, & auxilium du-*  
*bium fuisset*, se coactum inquiebat ad id,  
 ut hoc Regnum potius Ferdinando con-  
 cederet, sicque eundem, qui jamjam Pa-  
 trimonium Ecclesiæ invasurus esset, pla-  
 caret, ac impendens Ecclesiæ discrimen  
 averteret. Demum exponit, se in literis  
 investituræ expresse hanc apposuisse con-  
 ditionem: *reservatis aliorum juribus*, hac-  
 que clausula Renati Andegavensis jura  
 adhuc salva & integra manere ajebat.  
 Cum vero Pontifex in responso, quod  
 publice iisdem Legatis dederat, Rena-  
 tum Regem Siciliæ nuncupasset, Ferdi-  
 nandi Oratores ea de re offensi, graviter  
 conquerebantur.